

DISPUTATIO TERTIA
TRACTATUS

DE CESSIONE
ACTIONUM

Continens unam veram, fictæ cessionis speciem, & unam
quæ inter cessiones planè non est referenda, à *Glos.* autem
in l. pen. C. Ad Sct. Trebell. pro cessione ficta
reputata.

QVAM
Quæ sita Salute Divinâ

*Autoritate atq; permissu Magnifici Dn. Ordinarii, Senioris & reli-
quorum inclutæ Facultatis Juridicæ Adsefforum*

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi

DN. QVIRINI SCHACHERI

Phil. & U. J. D. Facultatis Jurid. Adsefforis

Præceptoris & fautoris sui ætatem
honorandi

Disputantium benevolæ censuræ publicè exhibet

CHRISTIAN-AUGUSTUS Fürschütz

Nobil. Lünæb.

In Auditorio Paulino horis solitis die 19. April.

M. DC. XXXVII.

LIPSIÆ,

Excudebat HENNINGUS Köler.

ALI. 003

110

1637, 5

3





QVOD DEUS bene vertat!

DISPUTATIO TERTIA

De

CESSIONE ACTIONUM

IN Disputatione de CESSIONE ACTIONUM primâ de Polysemiâ, Synonymia, definitione rei, deq; novem FICTARUM five IPSO JURE contingentium cessionum speciebus falsis & suppositiis egimus: In secundâ autē tres veras & genuinas species, easq; notabiles & perquam utiles contemplati sumus: Nunc in præsentē tertiâ, unam veram strictæ cessionis speciem & unam quæ neq; cessionem à Jure, neq; cessionem ab homine in se continet, à Glos. autem in *l. pen. C. ad SCt. Treb.* pro cessione fictâ & legitimâ reputatâ, perlustrabimus,

THESIS I.

QUARTAM ipso jure contingentis cessionis speciem nobis exhibet *l. 1. §. sed & quotiens 9.* (unicus & singularis) *ff. ad SCt. Treb.*

II. Casus talis habetur in eô. Sempronius heres Caii rogatus fuit hereditatem restituere Mævio & Titio, huic quidem purè vel in diem Paschatos, illi vero sub conditione aliquâ, Quæritur ergo quid in hoc passu faciendum? Respondet Ulp. Sempronium hereditatem suspectam nominasse, & Senatū censuisse, hereditatem universam Titio pendente conditione esse restituendam, & si conditio postmodum extiterit, in Mævium sine ullo facto

A 2

confidei



onfidei commissarii Titii ipso jure transcuras actiones, modò
velit suam suscipere partem.

III. Summa itaq; d. s. est, quod quando duo vel plures fidei
commissarii sunt denominati, unus quidè purè vel in diem, alter
vero sub conditione, purè vel in diem instituto debeat universa
hereditas restitui, sed eveniente conditione ipso jure transire
actiones in alterum. Unde malè à Br. summatus est h. m. In fidei
commiss. partis, cui facta est restitutio in solidū, transeunt actio-
nes, quæ ipso jure transibant in alium fideicommissarium con-
ditione existente: Non enim ibidem quæritur (1) de quovis
fideicommissario partis, sed de illo duntaxat, qui habet confidei-
commiss. Conditionalem, neq; (2) de eò, cui restituta est here-
ditas, sed de eò, cui restituenda ante conditionis purificationem.

IV. Pro majori luce & enodatione d. s. sequentes quæstio-
nes ventilandæ & examinandæ erunt (1) Quare Sempronius
heres ejusmodi hereditatē suspectam dixerit? (2) Cur tota here-
ditas Titio (fideicommissario purè vel in diem instituto) pen-
dente conditione sit restituenda. (3) Num præcisè totam heredi-
tatem Titius suscipere teneatur nec possit suam duntaxat petere
partem (4) Cur in Mæviū transeant ipso jure actione conditione
verificata. (5) An sit differentia inter fideicommissarium condi-
tionalem & purum vel in diem, (6) An § loquens de fideicom-
missario in diem, sit intelligendus generaliter, de quovis in diem
constituto confideicommissario, ita ut etiam in incertum diem
constitutum comprehendat. (7) Quomodo vel qu, in diem in-
certum fideicommissum relinqvatur (8) Num d. s. de omnibus
fideic: conditionalibus exaudiendus (9) Pro qua quota & por-
tione cessio ipso jure fiat.

V. Ad PRIMAM autem Quæstionem respondemus:
Non ideò Sempronium appellasse hanc hereditatem suspectam,
quasi omnes ejusmodi hereditates, ubi rogantur heredes uni
purè alteri verò sub conditione restituere hereditatem, essent su-
spectæ dicendæ, sed quia in præsentis casu, eam pro suspecta
habuit.

habuit. Est namq; unicuiq; liberum dicere hereditatem sibi declaratam suspectam nec ne, nec immerito, ut inquit JCt. in l. quia poterat. 4. w. ad SCt: Trebell. Non enim præscribi heredi instituto debet, cur metuat hereditatem adire, vel cur nolit, cum variæ sint hominum voluntates &c. l. sed etsi 9. §. quod si. ff. eod.

VI. Ad SECUNDAM Qvæst. Cur tota hereditas Titio pendente conditione sit restituenda *Glos & Dd.* quodammodo obmutescunt. Allegant quidem pro eruendâ ratione l. cogi 16. §. si quis heres 4. & §. si servo 10. ff. ad SCt. Treb. Sed in d. §. 4. casu à nostro longè diversissimus habetur, ratioq; decidendi in eò est facilima. Quia, qv. duobus est restituenda hereditas simpliciter sive purè, & unus ex his vult sibi restitui hereditatem, alter vero recusat, qvò de casu tractat, in promptu est ratio, cur is, qui repudiavit partem suam exoneretur, & in alterum, qui universum jus lubens agnovit, omnes actiones in solidum transferat, nimirum recusatio, quæ facit, ut alteri pars recusantis accrescat. Hic autem disceptamus de fideicommissario conditionali, qui multis parasangis distat à fideicom: purè vel in diem rogato. Nos, ut liberè mentem nostram aperiamus, rationem ponemus in ficta sive præsumpta voluntate testatoris, qui uni purè alteri sub conditione relinquendo, videtur voluisse, ei qui purè institutus, interea, dum conditio nondum impleta, totam hereditatem concedere Argumento nobis est l. mulier 22. §. si heres 2. ff. ad SCt. Treb. Qui verò meliorem nobis suggerent, eosdem libenter audiemus & seqvemur.

VII. Ad Qvæstionem igitur TERTIAM: An fideicommissarius purè vel in diem institutus teneatur præcisè universam apprehendere hereditatem, nec possit suam duntaxat partem arripere, difficilior est responsio: nullibi enim expressè decisa reperitur. Dicit quidem d. l. 1. §. 9. Senatam censuisse, ei interea dum conditio pendet, restituendam universam hereditatem, qui purè rogatus vel in diem. Sed an hoc de volente, an verò de

invito intelligendū, non exprimit. Quid ergo statuendū? defendemus fideicommissario purè instituto licitum esse vel totum vel partem appetere, idq; per *l. cogi 16. §. idem Mœcianus 9. ff. ad SCt. Treb.* Jct Mœcianus: (quis fuerit & quo tempore vixerit nobis non constat, maximè, cum non reperiatur in catalogo) Ctorum, qui habetur in *l. 2. de O. I.* nisi dixeris fuisse Luc. Crassum fratrem Publ. Mucii, qui Mucianus & à Cic. disertissimus appellatus *d. l. 2. §. ex his 40.* Illud tamen ex inscriptione *l. 1. ff. ad SCt. Treb.* in aprico est, quod antiquior Ulpiano, & ex *l. cogi 16. §. sed etsi miles 8. §. sed si servo 13. ff. d. t.* aliquot libros de fideicommissis conscripserit) ait, posse fideicommissarium ita cogere heredem ad aditionem hereditatis, ut, vel transferat totam vel partem, subjungens, multum interesse, utrum totam sibi restitui desideraverit, an suam tantummodò partem, & si quæres, ubinam interea confideicommissariiportio & quisnam pro illa rata vel debitores hereditarios convenire, vel creditoribus hereditariis. & legatariis satisfacere potest & debet? respondemus, esse constituendum Curatorem bonorum ad instantiam legatariorum, creditorum vel debitorum solvere cupientium, per ea quæ habentur in *l. si quis instituatur, 23. ff. de acqvir. hered.* Diss. Schneidw. ad *§. nihil autem interest. §. de fideic. hered. ibiq; Heig.* Inqvies, sed quanam ratio, quod confideicommissariorum unus possit totius hereditatis restitutionem urgere, cum saltem ex judicio testatoris partem accipere debeat? Item, cur compulendo heredem ad adeundam hereditatem, quærat jus confideicommissario, ne possit deinde quartam ab ipsius rata detrahere, atq; sic faciat conditionem ipsius meliorem? Ad primum respondemus, ideò competere confideicommissario jus totam hereditatem petendi, quia ante divisionem in solidum videntur esse fideicommissarii. Ad secundum respondet Br. in *d. l. 16. §. 9.* Ideò denegandam detractionem quartæ heredi fiduciario, quia semel adiit coactus, cumq; adeuns coactè perdat Trebellianicam, meritò etiam respectu reliquorum hanc pœnam pati debere. Sed Br. opinio nobis non arridet, In *d. n. §. expressè* asseritur, quod heres partim coactus partim volens heredi-

606

hereditatem adire possit, Nam, si fideicommissarius partem dun-
taxat suam desideraverit, & ob id ad aditionem heredem coe-
gerit, dicitur, non ideo statim quoad alterum Trebellianicam
eum amisisse sed deductionem quartæ eidem adhuc salvam inte-
gramq; reliquisse. Quid ergo dicendum? Distingvimus inter co-
actionem totalem & coactionem partialem. Coactus ad restitu-
tionem universæ hereditatis merito privatur beneficio quartæ in
totum; Coactus vero ad restit. partis cujusdam nec ultra partem
est puniendus, ne pœna sit delicto gravior. Quando igitur con-
fideicommissarius per coactionem totalem consequitur quartam,
non hoc tam fit ex facto confideicommissarii compellentis,
quàm ex facto fiduciarii, qui planè nihil penès se habere cupit,
sed in totum voluntatem testatoris & legis beneficium aspernatur.

VIII. **Q**uæstionem **Q**UARTAM quod attinet: **C**ur,
nim: In Confideicommissarium conditionalem
transeant ipso jure actiones purificatâ conditione?
eam à nemine decisam animadvertimus, cum tamen maximè sit
hujus loci, & dubia non contemnenda habeat. Modò enim dixi-
mus impurè vel indiem rogatum fideicommissarium, omnes tran-
siisse actiones per restit. hereditatis universalem. Cur ergò non
à Confideicommissario recipit? Sicuti res ipsas ex manibus ejus-
dem mediante actione, si pars hereditatis petatur, accipere tene-
tur, nec potest easdem propria autoritate apprehendere, *d. l. cogi*
16. §. Mæcianus 8. ibi: à præsentibus petent. ff. Ad Sct. Treb: Cur tam
varie? Vel moriuntur ne eveniente conditione in confideicom-
missario, ut ita fortean resuscitari possint in altero? *Bart:* desu-
mere videtur rationem à voluntate testatoris, qui non disposuit,
quod fideicommissum à confideicommissario habere debuerit,
& distinguit inter translationem sive possessionem rerum & inter
translationem jurium, dicitq; hanc consequi ipso jure, illam vero
ex manibus heredis. Sed desiderium nostrum non implet, distin-
ctionem laudamus & approbamus, in ratione autem distin-
ctionis in vestiganda sudamus. Stet itaq; voluntas Imp. pro lege
donec nobis melior dabitur.

Quæ-

IX. **Qvæstio QVINTA** Ad hunc collimat scopum Audivimus in fideicommissarium conditionalem ipso jure transire actiones, qv. conditio extiterit, posset quis autumare & tunc in confid: ipso jure transfundi actiones, qv. non est conditionalis sed qvoq; purus vel in diem, quod tamē vix ac ne vix quidem dicendum, eò quod lex fileat & dispar adsit ratio. Vt ergò sciamus, qvomodo inter se differant fideicom. in diem & Conditionale, paucis, quantum pro evidentia nostræ l. necessarium, explicabimus. Fideicommissum in diem statim debetur, quamvis ante dici adventum exigi non possit *l. 1. §. 1. ff. de Condit. & demonstr. §. 2. J. de V. O.* qvā de causa etiam ante diem mortuo fideicommissario heredes ejus post diem fideicommissum petere possunt, *l. si dies 21. ff. Qv. dies leg. ced.* In fideicommissio conditionaliter relicto fideicommissarius nihil juris habet ante conditionis existentiam. *l. si post, §. § sed si 2. ff. Qv. dies leg. l. is cui 42. de O. & A.* Proindeq; mortuus nihil etiā ad suos heredes transmittit. *l. legata 41. de cond. & demonstr. l. intercidit 59. d. t. Gail. 2. Obs. 131. 132. Gomez. Var. res. cap. 5. n. 9.* Si itaq; post mortem confideicommissarii in n. casu conditio eveniret, nullo modò in heredem transirent actiones.

X. **Qvæstio SEXTA** est cedro digna; Noster n. §. loquitur generaliter de in diem rogatis, eosdemq; æquiparat illis, qui purè instituti, unde facile quis posset eundem etiam ad eum qui in incertum diem est constitutus, trahere, Vi regulæ tritissimæ lex generaliter loquens generaliter est intelligenda. Verùm scito, *text.* minimè de in diem incertum constitutis exaudiendum esse, Sed qv. fideicommissum alicui in incertum relinquitur, ejusmodi fideicommissarium esse associandum illi, qui sub conditione est institutus, idemq; de his, quod de illis statuendum. Et enim dies incertus conditionem in testamento facit, *l. dies 75. ff. de condit. & dem. immò conditio appellatur. in l. talis Scriptura 30. §. sed etsi 4. ff. de leg. 1.* qvia dies non est simplex, sed cum eventu, propter quem fieri potest, ne existat *Arg. l. unic. §. sin a. 7. C. de caduc. tollend.* Vt hoc

607

XI. Ut hoc melius percipiatur, dilabimur ad **Qvæstionem**
SEPTIMAM, quæ nobis aperiet, **Quando** quid in diem
certum vel incertum relictum dicatur? Et notandum,
quod duobus modis soleat certa dies exprimi vel per modum
termini à qvò, veluti post triennium, biennium, &c. Vel per mo-
dum termini ad qvem, veluti ad biennium, triennium &c.
Qvandò vero dies incertus apponitur, id dupliciter contingere
solet: Vno modo qv. conjunctim dubitatur **AN**, & **QVANDO**
sit exiturus; altero vero quando separatim ambigitur **AN** vel
QVANDO sit venturus. E. g. qv. ita dicitur: **Cum uxorem**
duxerit; cum in familiam nupserit; cum magi-
stratum inierit, utrumq; in incerto est **AN & QVANDO**
hæc dies apparitura. *l. 1. § dies incertus 2. w. Qv. dies leg. Ced. l. si dies*
27. eod. Qv. verò ita dicitur: **Cum T. pubes erit**, saltem
dubiū est de eò, **AN** sit futurus, **QVANDO** a nemini ignotum esse
potest. Sic econtra qv. dicitur: **heres meus cū morietur**,
non est in obscuro, **AN** sit moriturus sed duntaxat **QVANDO**.
l. si cum heres 4. l. hujusmodi 13. ff. d. t. Summè tamen observandum,
quod habet *Imper. Alex. in l. ex his verbis 5. C. Qv. dies leg. Ced.* nim.
particulam **Si** & conditionales locutiones non semper conditio-
nem inducere, sed quandoq; termini solutionis dilatandi gratia
apponi. Talem namq; facti speciem in eà habet. Quidam filia
sua his verbis legaverat decem: **DO, LEGO** filia meæ decem
quæ accipere debet **CUM** ad legitimum statum pervenerit,
antequam autem ad legitimam pervenerat ætatem, diem suum
obierat: Consultus itaq; *Imp.* num filia jus suum in heredes trans-
tulisset, ut possent postquam annum 25. si vixisset, complevisset,
legatum ab herede exigere, respondet, non videri hoc in casu
conditionem vel diem incertum fideicommissio insertam, sed so-
lum temporis mentionem fuisse factam solutionis gratiâ, quæ
differri debuit in annum 25. innuens eò ipso probè in his & simili-
bus quæstionibus voluntatem testatoris sectandam, quemad-
modum

B

modum



modum etiam regula à Jcto in l. in conditionibus 19. ff. de condit. & demonstr. tradita, monet. Aliàs verba enunciata per voculam SI, CUM &c. ut, si factus annorum 14. non solum diem sed & conditionem inferunt text. est eleg. in l. si Titio 22. ff. Qv. dies leg. eod. quod notabiliter de omnibus in diem incertum relictis accipiendum. Sic Javolenus in non absimili facti specie recensitâ in l. Sejus Saturninus 46. ff. ad Sct. Treb. responderet pro heredibus, si scilicet prorogando tempus solutionis tutelam & administrationem bonorum magis fiduciario permisisset & concedisset, quàm in incertum diem quid constituisse videretur. Ita Jct. in l. quibus diebus 40. §. 2. de Condit. & demonstr. magis ad sensum quàm ad verba respicit. Et quia illorum opinio, quod Conditionalia verba non in modum conditionis inserta quandoque videantur, favorabilior, etiam in favorabilioribus negotiis præ alterâ in dubio erit arripienda. Text. est aureus in l. si ita scriptum 16. ff. de manû. Vind. l. fideicommissaria 23. §. etiam 3. ff. de fideic. libert. ubi hæc verba: Si T. 30. annorum erit, non inferunt locutionem conditionalem, sed saltem designant tempus dandi libertatem, quàm non important, quoad alias causas. Consimilis decisio habetur in l. si cum præfinitione 20. ff. Qv. dies leg. eod. ubi dicitur interesse, an pro alimentis, an non pro alimentis ita quis legavit, T. dena usque ad annos decem lego. Si enim alimentacionis gratia prædicto modo quid legatum, erit legatum multorum annorum, mortuum hinc legatarium ante annum primum nihil ad heredes transmittere; si verò non alimentacionis causa legatum factum, sed in plures pensiones divisum exonerandi gratiâ, dabitur ei de seo mehr Zeit zur Zahlung habere erit legatum plurium annorum, & intra decennium decedentem legatarium etiam futurorum annorum legatum ad heredem suum transmittet. His ita observatis non opus est, ut cum Accurs pro Concl. l. 5. C. Qv. dies leg. ced. & l. 40. §. 2. ff. de condit. & demonstr. inter quas pugna videtur esse, recurramus ad specialitatem miserorum commune asylum, vel, Cum Br. laudato à Vinc. Honded. in Consult. 16. n. 46. Ad distinctionem inter diem adjectum essentialitæ legati, & adjectum solum solutionis, executionisve gratia, quæ in se quidem optima, sed & Jcto Ofilio non incognita & tamen

tamen à Labeone refutata: Vel cum *Cremens. in f. Singul. 112*, ad casum, ubi testator fecerat multa legata, & postea in testamento subjunxerat, quasi d. legata velit præstari post mortē uxoris suæ, & erant mortui legatarii ante uxorem, ad distinctionem inter testatorem loquentem sine, & cum adversativâ, quam desumpsit ex *Bl. in l. ambiguitatem C. de usus.* & ut singulare verbum, literis aureis scribendum, notavit. Apparet autem ex his allatis, quid statuendum, in eò casu, qui non infreqvens, quod testatores legatorum exsolutionem differunt in annos pubertatis & plerunq; his utuntur verbis. *Jch vermache meinem Sohn 100. Thl. wann er anders zu seinen mündigen Jahren gekommen seyn wird: vel, Jch vermache ihm 100. Thl. die er selber empfangen vnd gebrauchen sol/ wann er mündig seyn wird / vnd das Geld selber gebrauchen kan.*

XII. Cum ergò ex hæcenus dictis satis superq; constet, *text. nostrum*, loquentē de fideicommissis in diem, esse intelligendum de in diem certum, nullo verò modò de in diem in certum; *consectarium* erit, ut ad **Qvæstionem OCTAVAM** respondeamus. Dicimus autem, non de omnibus *text.* exaudiendum. Excludimus namq; conditiones extrinsecas de naturâ fideicommissi, non verò ex testamento prodeutes, quia ejusmodi fideicommissa non sunt conditionalia. Separamus impossibiles & turpes; pro nullis enim & pro non adjectis habentur. *l. obtinuit 3. l. non dubitamus 20, ff. de Cond. & dem.* Non consideramus, conditiones quæ vivo testatore adimpletæ, & quoq; adimpleri potuerunt, quales sunt; si navis ex Asia venerit, cum pubes erit; cum nupserit. *l. 2. & 10. w. de Cond. & demonst.* Multò minus conditiones in non faciendo consistentes, fideicommissarius siquidem in his pro purè instituto quodammodo habetur, eò, quod mediante cautione Mucianâ, inventa à Q. Mucio Scævola Nov. 22. pro-
tinus fideicommissum consequi possit. *l. Muciana 7. ff. de condit. & demonstr.*

XIII. Ad **ULTIMAM Qvæstionem** respondemus cum *Glos. in d. l. cessionem* fieri pro ratâ. Et tantum de hæc 4. specie.



XIV. QUINTAM speciem cessionis ipso jure contingens, desumit *Glos. ad d. l. pen. C. ad SC. Treb. ex l. fin. §. fin a. 3. C. Comm. de leg.* ubi sine ulla prævia translatione jurium Imp. Just. legatariis, fideicommissariis, substitutis, & quibusvis aliis quibus aliquid vel purè, vel in diem certum incertum velve conditione relictum restituendum, dat & tribuit jus vindicandi alienata legata, fideicommissa & manumissa, à detentatoribus, qui ea à nequam hominibus, contra votum testantium vel avaritiæ cupidine vel spe conditionis non adimplendæ ad venditiones vel oppignorationes proficientibus, acceperunt, motus hâc ratione, quod quidem quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter liberrimus, satis tamen absurdum & irrationabile, rem quam quis in suis bonis purè i. e. irrevocabiliter non possidet, posse ad alium transferre vel pignoris nexu implicare.

XV. Cæterùm, ut hunc *TEXTUM* dextrè intelligamus sequentia sunt præmittenda & observanda. (1) Quod fideicommissa non sint duplicia, sed triplicia: *UNIVERSALIA, PARTICULARIA, & SINGULARIA*. Universalia appellamus, quæ heres rogatur totam restituere hereditatem: Particularia, cum partem vel partis partem: Singularia verò cum rem singularem duntaxat. *§. sed quia ibi:* aut totam aut penè totam item mox: Ex singulis quoque rebus *§. nihil autem interest §. ibi:* aut totam aut partem aut partis partem *§. praterea 10. ibi:* aut totam, partemve, aut rem singularem *§. eum 11. §. de fideic. hered: & tot. tit. de singul. reb. per fideic. relict.* De ultima specie agitur in lib. 30, 31, 32, 33, 34, 35. ff. & *rubr. de leg. & fideic. 1, 2, 3* quæ de fideicommissis singularibus conceptæ. De posterioribus duabus speciebus tractatur in lib. 36. l. 1. in. pr. ff. ad SC. Treb.

XVI. Secundò: quod malè & non sine gravissimo errore Dd tyronibus juris passim inculcent, particularia fideicommissa hodiè esse æquiparata legatis, in l. 2. C. Comm. de leg. cum hoc sit dicendum de Singularibus. Equidem nos non fugit illum qui ex fideicommissis recipiebat partem hereditatis fuisse locò partiarum legatarii i. e. ejus legatarii cui pars bonorum legatur, quæ species legati *PARTITIO* vocata; quia cum herede legatarius partiebatur

batur hereditatem §. *sed quia* J. *de fideic. hered.* Sed per *SCt. Treb. & Pegas.* cœpit esse heredis locò § *nihil autem interest.* J. *d. t.* Legata autem hoc ipso dignoscuntur à fideicommissis singularibus, quod hæc relinqvantur verbis precativis, ut fideicommitto, peto rogo, volo dari, illa verò legis modò i. e. imperativè, verbis civilibus & directis, idq; vel per **VINDICATIONEM**, his verbis: **DO LEGO, CAPITO, SUMITO, HABETO.** vel per **DAMNATIONEM**, ut heres meus damnas esto dare, dato, facito, heredem meum dare jubeo: per **SINENDIMODUM** ita: heres meus damnas est sinere Lucium hanc rem sumere, sibiq; habere vel deniq; per **PRÆCEPTIONEM** sic: Lucius Titius illam rem præcipito. Et licet, fuerint olim magnæ differentiæ & distantiæ non solum inter ipsa legata, sed & legatorum & fideicommissorum singularium species: Attamen Imper: Justin: animadvertens legatariis plerumq; competere pro consequendis legatis actionem personalem, & posteritatem optimis rationibus suffultam & usam subtilitatem vindicationis, sinendi modi, & aliorum legatorum non facile suscepisse, nec laudasse inextricabiles circuitus, qui per in rem missionem fiebant, dum (1) per actionem legatorum cautionem legatorum servandorum causa exigere & ea non obtenta (2) missionem in bona necessum habuerit. *l. hac stipulatio 14. ff. ut leg. serv. caus. cav. & tot. tit. ut leg. serv. ea in possideat.* Insuperq; magis verbis quam ipsi rebus leges imposuisse non solum in rem missionem penitus ut tenebrosissimum errorem, abolet, *rub. Com de: de leg. & de in rem missione tollenda* (quod sicco pede prætereunt *Dd. in tit: ff. Ut leg: serv. caus. nec sequimur Calvin: in s. lex. ad verb. missio quia caret ratione & auctoritate multò minus Godof. in not. ad d. l. fin. lit. i.* quia nihil tale in Pauli sententiis habetur, & verbum ex inopiapositum in *Nov. 39* in versione *Ruffardi* planè deest) & omnibus legatis, Unam naturam imponit, tribuens omnibus legatariis præter actionem personalem, actiones in rem & hypothecariam in res defuncti quousq; se extendit personalis, *leg. 1. C. Commun. de leg.* sed & verbis directis & precativis unam eandemq; virtutem & efficaciam indit & attribuit, ita ut omnia, quæ naturaliter insunt legatis, &

fideicommissis inhærere intelligantur, & contra, quicquid fideicommissis naturaliter inest, & legatis applicetur, quò omnibus sit perfectus eventus, & ex omnibus nascantur in rem actiones, ex omnibus hypothecariæ, ex omnibus personales, adeò, ut si quid contrarium in legatis & fideicommissis reperiat, hoc secundum fideicommissorù dispositionem, utpote quæ benignior & humanior, decidatur, & secundum eam legatorum traditio reguletur. *l. 2. C. Comm. de leg.*

XVII. TERTIÒ, quod alia remedia competant fideicommissariis universalibus & particularibus pro consequendis fideicommissariis hereditatibus totaliter vel partialiter relictis; alia legatariis & fideicommissariis singularibus pro legatis & fideicommissis specialibus. Ut ecce, pro fideicommissis universalibus & particularibus §. *nihil autem interest. ibi Schneidw.* sibi contrarius in §. *præterea* §. *de fideic. hered.* habet fideicommissarius & universalis & particularis actionem personalem, per quam sine præstatione cautionis, §. *ergò ibi*: quo casu nullis stipulationibus opus. §. *sed quia in fin: ibi*: uullo incommodo §. *de fid. her.* quia liberis alioquin habet ædes *Diss. Schneidw. in § sed quia n. 11. §. de fideic. hered.* heredem institutum nõ tantum ad restitutionem jam aditæ hereditatis, sed etiã a ipsam aditionem, si ipsam non adisset & adire noller, & restitutionem juris universi, quod fuit hereditatis uti notanter loquitur *JCt. in l. in fideicommissaria 18. § 1. ff. ad SCt. Treb. l. si mulier 59. § ex asse ff. de jur. dot: faciendam vel re vel verbis. l. restituta 37. d. t. compellere potest §. ergò si quid 6. §. de fid. her. l. quia poterat 4. l. non cogendus. 53. ff. ad SCt. Treb. Natta Consil. 400.* Restitutione autem vel sponte vel coacta impetrata, habet fideicommissarius fideicommissariam hereditatis petitionem, si videlicet universalis, & actionem, si pars hereditatis petatur, si particularis *l. 1, 2, 3. & tot. tit. de fideic. pet. hered. & tot. tit. Si pars hered. pet. eleg. Ant. Fab. in ration: ad l. 1. & 3. ff. de fideic. hered. pet:* ubi propter verba, restitutã hereditate fusissimè pro vera interpretatione *d. l. 1. contra Accurs. & Br. & Dd. statuentes fideicommissario competere fid. her. pet:* etiam nondum restitutione facta. *Pet. Ant. de Petr. tr. de fideic. q. 10. n. 20, contra manifestissimum text. in l. 3. § 1. ff. de fid. her.*

her. petit: Aliter Diss. Heig. ad pr. §. n. 6. de fid her. qvi & fideicom-
missario tribuit actionem hypothecariam. LEGATARIUS
autem & fideicommissarius singularis, qvi & pecuniarius à JCr.
in l. 14. § 6. ff ad SCt. Treb. appellatur, pro fideicommissio vel re
legata consequenda non habet hanc facultatem compellendi
heredem ad aditionem. l. cogi 16. § & generaliter 2. ff. ad SCt. Treb.
non enim tenetur ad exsolutionem debitorum ut fideicommissa-
rius universalis vel particularis, proinde æquum non est quem
compelli adire hereditatē, ut emolumentum quidem hereditatis
refundat, ipse verò oneribus hereditariis obstrictus relinqvatur
ut eleg, dicit JCr. in l. nam quod 14. § non omni 5. ff. ad SCt. Trebell.
Schneidw. ad § sed quia. n. 11. §. de her. fideic. quod in tantum verum,
ut ne quidem ad Compulsionem venire possit, tamen si cautio-
nem indemnizatis offerat heredi. de l. 14. § 7. ff. ad SCt. Trebell.
sed adita hereditate, ut audivimus supra, consequitur tria bene-
ficia juris ex l. 1. C. Comm. de leg. non copulativè vel cumulativè
sed electivè l. cum filius 76. § variis 8. de leg. 2. (1) ACTIONEM
PERSONALEM, quæ nascitur ex aditione, per quam cum lega-
tariis q. contrahere, atq; sic ad exsolutionem legatorum se ob-
stringere videtur § heres 7. de O quæ ex q. contr. l. si quis 5. § heres de
O. & A. Plat. ad §. sed olim n. 7. de leg. ubi addit, actorem cautum
esse debere, ut in libello commemoret aditam fuisse hereditatem
Sich. ad l. qui post 3. n. 15. ubi formulam libelli habet. C. de legat. (2)
ACTIONEM REALEM. REI VINDICATIONEM quidē quæ
res corporalis, quæ in dominio testatoris legata fuit: publicianā
si q. dominium habuit: Confessoriam, quæ jura & nomina fue-
runt relicta, ad hoc, ut petat se declarari dominū juris vel actio-
nis, & ut caveat heres, quod nolit ipsum neq; ipsius suscessores
in exigendo debito, vel utendo jure molestare, Idq; non ideò,
quia legatarius rectā viā fiat dominus rei legatæ. l. à Titio 64. ff.
de furt. hâc ratione enim stante & legatarii ante Iustian. actiones
in rem meritò habuissent, quod tamen nemo dicturus: Neq; se-
quitur semper: Dominus est ergo, rei vindicationē habet, emptor
namq; perfecto contractu dominus quidem est rei venditæ sed
ante traditionem adversus emptorem non rei vindicationem,
sed

sed actionem empti intentare potest: Ad dominium transferendum & titulus habilis & traditio conjunctim requiruntur; sed ideò, quia voluit Imp. magis prospicere legatariis (3) **HYPOTHECARIAM**; quia legatarii & fideicommissarii habent ex speciali Imp. Justin: concessione tacitam hypothecam in omnibus bonis defuncti. *l. 1. C. Comm. de leg. omnia tria remedia non nisi adversus ipsum heredem intendenda, & quidem posteriores duæ, quousque se extendit personalis. d. l. 1. Diss. Comm. Dd. dum statuunt rei vindic. & hypothecariam competiisse adversus quemcunque possessorem rerum legatarum & fideicommissarum, quod esse videtur contra l. fin. C. Com. legat. si enim vil, 1. C. d. t. legatarius potuisset adversus tertium possessorem agere non opus fuisset novo beneficio, quod consequitur in d. l. fin. legatarius, nempe **CONDICIONEM LEGIS** ex d. l. ad hoc ut alienationibus & oppignorationibus pro nulliter habitis, via pateat, ex licentia, sit ad vindicationem rerum legatarum nullo obstaculo à præscriptione desumpto eis opponendo. Atque hoc beneficium non solum singularis fideicommissarius consequitur, sed quod probè notandum, etiam universalis & particularis qu. heres fiduciarius vel partem hereditatis alienaverit vel oppignoverit, tum propter rationis identitatem, tum, quod *text.* generaliter de omnibus speciebus fidei commissi universalitatis & specialis expressè loquatur, nec non de substitutionibus & omnibus negotiis onere restitutionis obnoxiiis.*

Sciendum autem quod licet de J. Civili ejusmodi actiones requirant processum ordinarium, nostro tamen tempore propter generalem consuetudinem in Imperio Romano, quæ instrumenta nec rafa nec aliàs vitiosa, recognita tamen, habent paratam executionem, ita ut non opus sit libello solenni, liris contestatione, & condemnatione, sed statim à præcepto executivo incipere possimus, legatarios posse exemplò mediante testamenti recognitione obtinere præceptum executivum, sine ullâ prævia condemnatione, uti etiam Ampliss. Facult. Jurid. ita pronuncia- vit referente Magnifico Dn. Ordinario, præceptore nostro aternùm venerando, in sua Observ. utl.

QVAR-

277

VXIII. **Q**UARTO, quod multis passibus distet, **C**onstitutio novarum actionum, à translatione & cessione actionum, Sicuti annotavit notabiliter *Ant. Fab. in f. Rat. ad l. 1. & 3. de fidei. hered. pet.* in alio casu contra Br. existimantem hereditatis petitionem, quæ heredi competebat, transferri ex *Sc. Treb.* in fideicommissarium, ut possit etiam sine cessione utilem intentare. Hoc non attendens *Glos. n. in l. fin.* incurrit ob id in hunc gravissimum errorem quod allatum casum in *d. l. fin. §. 3.* ad cessionis ipso jure emergentes retulerit, cum tamen *text.* saltem loquatur de actionibus noviter competentibus legatariis adversus heredes vel possessores rerum, non verò de actionibus, quas habuit defunctus adversus debitores & possessores rerum, quæ non transferuntur in legatarium vel fideicommissarium ipso jure, sed mediante cessionis fienda per heredem, prout, fusiùs demonstravimus in *Disp. 1. cap. 4. th. 7.* Quando itaq; *Imp. Iust. in d. l. fin. & l. 1. C. Comm. de leg.* legatariis tria suppeditat remedia, nequaquam hoc de personalibus, realibus & hypothecariis actionibus, quas defunctus habuit, & in bonis reliquit adversus debitores vel possessores rerum suarum & sibi hypothecarum, sed de actione personali reali & hypothecariâ quæ noviter post mortem testatorum exsurgunt, & ex facto heredis vel legatarii resultant & propullulant, accipiendum est. Res, ut exemplo fiat clarior fiat, fingamus Titium (1) domum (2) centum florenos in parato (3) rei vindicationem pro biga equorum nec non (4) aliquot actiones personales & hypothecarias pro debitis reliquisse, & fratrem heredem instituisse, sorori autem suæ nomina & actiones, vel purè vel in diem certum aut incertum, vel sub conditione legasse & fideicommississe. Ecce hic toto cælo distant actiones personales & reales quæ competunt sorori adversus fratrem pro consequendis actionibus legatis quæ habuit defunctus, ab ipsis actionibus in hereditate repertis. Si ergò ut *d. l. fin.* ad h. n. casum applicemus, frater alienasset vel oppignorrasset illas actiones, non obstante d. alienatione & hypothecatione, soror conditionem *L. ex d. l. fin.* adversus possessores
C nomi-

nominum agere posset. In his tamen negotiis maximè è re legatarii erit, ut ilicò debitoribus & possessoribus rerum hereditarium, contra quas defuncto competebant actiones, denunciaret, sibi actiones fuisse legatas. *l. heres 21. ff. ad SCt. Trebell.* Fallit autem hæctenus tradita regula, & alienatio & oppignoratio nominis est licita & valida qu. liberi sunt heredes & dotem & donationem propter nuptias non nisi ex legatis salvam & integram habere possunt per *Auth. seq. quæ res. C. d. t. ex Nov. 39* desumpta, quâ de re aliis consimilibus quæstionibus sub capite de personis quæ cedere possint, acturi sumus. Hic terminus esto.

DEO sit Laus & Gloria.





Ad

Nobilissimum Dn. Disputantem.

Juribus invigilas, patriæ pro jure tuendo,
Hinc meritò Fürschus nomine req; clues.

*Sigismund Sinefelthaus D. Collegii
Juridici Lips. Ordinarius.*



Magna quidem laus est, præclaro semine Avorum
Censeri natum, pictosq; ostendere vultus
Majorum, ac clarâ partum virtute suorum
Nomen habere. Patrum aut Tu non solùm hisce tuorum
Laudibus ornari, propriis sed tollier ardes:
Tùm major tibi (ut est certè) laus esse videtur,
Aucta per assiduos propriâ virtute labores;
Dum doctâ mentem, pectusq; insigniter arte
Excultum Genti ingenuas adjungere Vestræ
Pierides sudas, noctesq; diesq; libellis
Invigilare studes, ac impallescere chartis;
Inclyta Iuridicæ penetrasq; sacraria Divæ.
Maestè age, quo pede cæpisti, illo perfice cursum
Cæptum. Sic hinc exurgent encomia laudum,
Maxima (crede) tibi fructusq; & præmia digna.
Præmia digna tuum referes capiesq; laborum,
Patria laudabit multis te dotibus auctum,
Et charo fueris certè spes unica Patri,
Sic quoq; dum vivet virtutis amabile nomen,
Dumq; sacra Eunomiz mortalibus ulla colentur,
Semper honos, nomenq; tuum sæcla omnia vincet.

*L. Andreas Bauer ad S. Nicol,
Lipsia Archidiaconus & S. Lin-
gva Professor. publ.*

Phy-

210

Philyrides †, arcu citharâq; Magister Achillis, *
Tam dicenda facit, quàm facienda docet:
Sic quoq; F V R S C H V T Z I, qui jam decoratus es † armis,
Legibus † armavit Te Philuræa Stoa.
Gratulor, & forti quò mox æqueris Achilli,
Qvos Philuræa dedit, suspice Philyridas!

* ἐν χείρων † ἐδίδαξε ΔΙΚΑΙΟΤΑΤΟΣ Κενάουρων,
Μύθων τε ῥητῆρ ἔμενοι, ἄρηκῆρα τε ἔργων.

† è vestibulo Institut. Iustinian.

Homer. Iliad. Λ. & Ι.

Hoc quicquid est gratulabundus
perscribat

*M. An. Rivinus Prof. Pœt.
& Principis Collegii Collegiatus.*



Parmi tant de combats & parmi tant d'alarmes,
Dont Mars ce furieux & cruel Dieu des armes
Nous fait a tous moment a chacun rehentir,
Cé trois fois tout-puissant, lequel par tout domine
Nous en ayant gardé par sa bonté diuine
Veut qu' on oye a Leipsig le bon droit retentir.

DE Fürschutz des premiers, Voulant tenir la place
De les predecesseurs, en ensuiuant la trace,
Fait Voir a un chacun que c' est de cession;
Et respondant qu' il est, fait qu' un chacun admire
Et luy & son discours, tant il est a Uray dire
Bien Imbu & fondé sur cette instruction.

LA luy est apposé tantoit d' une personne,
Tres-docte, & l' autre non moins expert l' arraisonne
Sur une question, mais quoy, ce bel esprit
Qvi de temerité ne veut pas qu' on l' accuse,
monstre a tous oppolans que du tout il s' amuse
De faire le deuoir d' un trez gentil esprit

Sus

Sils donc (o cher amy) suiuez je vous conjure
 Le chemin qu' auez pris , car assureé se jure
 Que bien y trouuerez , l' amitié ce pendant
 Dont vos merites sont & tous-jours doiuent estre
 Honorez de ma part , de meure en tout son estre
 Veu que ne suis pas moins a la vostre attendant.

Jacques Desmarest Maistre. de la
 Langue Françoisse Angeuin.



Dimidium nostri Sürschüs es pectoris , unde
 Non dare non possum jam bona verba Tibi.
 Pollens ingenii præclaris totibus ardes
 Virtutes patrias amplificare Tuis :
 Atq; litas sacræ Themidi noctesq; diesq;
 Hujus nunc cathedram scandis & altisonam.
 Si pergis veluti pergis nunc , ambigo nullus
 Hocce meum verum mox fore judicium:
 Vt dignus lateri jungaris Principis , hujus
 Aulam prudenti consilioq; regas.
 Sed quid quæso iuvat jam multis dicere verbis,
 Actio cur cedi , quomodo , quando , queat?
 Namq; vides miles , quamvis sit celsio nulla,
 Nostra tamen rapiens exigit ense bona.
 Seu cur non aliam quoq; dictas esse coactam,
 Quam sævus miles constituit speciem?

Sic

*Commensali & Fautori suo honorando
 accinebat*

Christianus Pehrish.

C 3

Nun

210
Vn schwingt euch / ihr hohen Sinne /
Auff zur Himmelblawen Zinne /
Dahin ihr auch schon längst gestigen /
Durch Tugend vnd durch grosse Zier /
Die ihr gebracht mit euch herfür
Aus wohlgelegten Grund der Wiegen.
Denn wo die Sonne vntergeht /
Vnd wo die Morgenröth' auffsteht /
Hört man der deinen Tugend singen /
O Edler Muth / doch weil es ist
Ein frembder Ruhm / drum dich gelüst
Durch eignes Lob empor zu dringen.
Drumb liebestu der Musen Schaar /
Ergibst dich ihnen ganz vnd gar /
Thust Tag vnd Nacht mit ihnen bulen /
Sie nennen dich dem liebsten Sohn /
Apollo selbst / der seinen Thron
Dort hat auff jener hohen Schulen.
Da Bacchus seine Berge weist
Vnd sich der Saalen-Ström ergeußt /
Thut dir ein schönes Zeugnis geben /
Wie daß allhier du deine Zeit
Hettst zugebracht ohn Vnterscheid
In stetem Fleiß vnd sittem Leben /
Drumb preist er dich bey jederman /
Zeigt allen deine Tugend an /
Die dich bey vns auch längst erhoben.
Denn die wir an der Pleisse seyn /
Erkennen deiner Tugend Schein /
Vnd müssen deine Weißheit loben /

Die

Die Göttin die Gerechtigkeit
 Sich selbst auch darob erfreut/
 Wil deine trewe Dienste preisen.
 Die du auch selbst zu dieser Zeit
 In der gelehrten Leute Streit
 Mit grossem Ruhme thust beweisen.
 Nun fahre fort / so wird dein Land
 Dich sehen an des Fürsten Hand/
 Vnd wird an deinen hohen Gaben/
 In dieser schweren Kriegesprast
 Vnd grosser vnerhörter Last
 Bedencken Linderung zu haben.
 Das hoffen auch die Musen all/
 Drum stimmen sie an allzumal/
 Vnd singen diesen Wundsch zu ehren:
 Gott wolle dich dem Vaterland
 Vnd allen / so dir angewand/
 Für sich zu einem Schutz gewehren.

Johannes Weisse.


E N D E.




X2615937

V. 17







...TIA
ONE
IM

is speciem, & unam
enda, à Glof. autem
essione ficta

Divina
inarii, Senioris & reli-
Adsefforum

HACHERI
id. Adsefforis
i ætatem

publicè exhibet
TUS Fürschutz

is die 19. April,
II.

us Köler.

Handwritten: ALI. 603
140
1637, 5

Handwritten: 3

